

FRÆFATIO
PRISCÆ EDITIONIS,
AD LECTOREM.

C Vm Valerius Cordus, Euritii illius
celeberrimi Medici filius, studiorum
gratia Italiam petiturus, obiter ad
urbem nostram Norimbergam pervenis-
set, atque cum doctis quibusdam ac bonis
viris, præcipue Medicis, mutuam noti-
tiam, amicitiam, familiaritatemque stu-
diose contraheret; inter cetera, quæ de bo-
nis litteris atque re Medica, ultro citro-
que inter eos familiariter, ut fieri solet,
agitata sunt; mentio incidit Dispensato-
rii, quod ipse ex omni genere bonorum
auctorum, cum veterum, tum recentium,
de Pharmacorum omnium, quatenus in
usu sunt, confiendorum ratione colle-
ctum, diligenter & emendatissime con-
scriperat. Cumque constaret, illud iam
antea in aliquot Saxoniarib[us], præci-
puis Medicis approbantibus, in usum pu-
blicum fuisse receptum, interimque ta-
men ab eo & locupletatū, & annotationi-
bus eruditis magis atque magis illustra-
tum; rogatus fuit à compluribus, ut il-
lad ipsum etiam nostris Pharmacopolis
imperiret. Cordus autem, etsi ad iuvan-
dam rem Medicam iam tum mirifice esset

A 4

accen-

accensus, pro sua tamen modestia atque prudentia, non nihil subuerebatur, privatam suam auctoritatem ad Pharmacopolas permovendos, ponderis haudquaquam satis esse habituram. Itaque librum suum Senatui potius offert, tum demum in usum publicum assumendum, cum esset illius iudicio & auctoritate comprobatus. Senatus vero, pro sua in studiosos omnes propensione, ac reipublicæ omni ex parte iuvandæ diligentia ac sollicitudine, officium illud Cordi per quā gratum habuit; librumque collegio Medicorum, Cordo præsente, per legendum & examinandum tradidit: ut si quid mutandū, adiiciendūve arbitraturi essent, id auctore non modo sciente, verum etiam consentiente fieri posset. Quod cum sedulo ac magna diligentia factum esset, Senatusque ex Medicorum censura iam intellexisset, nihil haec tenus absolutius aut emendatius in hoc descriptionum genere typis evulgatum esse; librum non solum in publicum edendum, verum etiam Pharmacopolis, ut eum veluti lumen quoddam deinceps sequantur, offerendū esse decrevit. Cuius quidem editioni, hac quoque de causa studiosius invigilatum est, ut auctore interim in Italia, dum ad metam studiorum suorum quam acerrime contendit, immatura morte sublato, aliquid tamen illius exta-

P R A E F A T I O ,

9

extaret, quod ingeniuū eius & industriam posteritati testaretur, eumque ab oblivione vindicaret.

Hoc igitur Valerii Cordi, candidissimi & diligentissimi iuvenis monumentum qualecunque, certe non pœnitendum, studiose lector, obviis ulnis amplectere: & si quid ex eo iuvaberis (iuvabetis autem, nisi fallor, quam plurimum) amplissimo Norimbergensi Senatui, cuius liberalitate tibi cōmunicatur, gratias habe. Sin autem aliquid in eo displicuerit, ne Auctore mortuum inhumaniter calumniis impete: sed absolutiore opere in publicum edendo, illum vincere, & nomen eius obscurare contendere. Bene vale.

I O A N N E S P O S T H I V S
D . M E D I C U S G E R M A N U S .

*Pharmacæ que Cordus variis collegit in hortis,
Latuſ agens ævi tempora verna ſui,
Post obitum in multos transcripta fuere libellos;
Verum hiſ errores non tolerandi inerant:
Quos gelido veniens Petrus de Monte removit,
Miscendo fidæ pharmaca cuncta manu.
Dit tibi, Coudenberge, ſenis dent-Nestoris annos,
Ut quod habes, ingens perficiatur opus.*

A 5 INDEX